

B. 191.



24

DE
ZVICCAVIENSIBVS
LITTER. ORIENTAL. STUDIO CLARIS
ET DE EO MERITIS
EPISTOLA

QVA SIMVL
VIRO SVMME REVERENDO
ATQVE ERVDITIONIS COPIA ET MVNERVM DIGNITATE
AMPLISSIMO

IOANNI GODOFREDO
WELLERO

A. M. ET SOC. LIBER. ART. LIPS. MEMBR. HON
ADHVC PAST. ET SVPERINT. PENIC

MVNVS
PASTORIS PRIMARII ET
SVPERINTENDENTIS
ZVICCAVIENSIS

A. D. XXX. IANVAR. A. C. CIO IO CCLXIII

SVSCEPTVM
GRATVLATVR

IOANNES FRIDERICVS REHKOPF

A. M. ET AD AEDEM S. CATHAR. DIACONVS

ZVICCAVIAE

EX OFFICINA HOEFERIA

DEP. DE
VICCAVIENSIBVS
LITTE. ORIENTAL. STVDIO CLARI
ET DE FO. ARABIS
EPISCOPI

VIRO SVBMO REVERENDO
IOANNI GODOFRIDO
WELERO

EPISCOPI PRIMARII ET
SECRETARII

IOHANNES FRIDERICUS



VIR SVMME REVERENDE AMPLISSIME
 DOCTISSIME
 ANTISTES GRAVISSIME
 PATRONE OPTIME

Multis iisque maximis plane singularis TVAE in me benevolentiae documentis ab aliquo inde tempore me ornasti, imo tot tantisque cumulasti, vt illorum cogitatio pudorem paene subrusticum mihi inferat, quum vel quibus verbis grati animi voluntatem TIBI significem, haud reperiam. Attamen quis non tot tantorumque beneficiorum immemorem et ingratiissimum hominem me iudicet, nisi, hac temporis opportunitate oblata, mentem obstricissimam TIBI testatam facere studeam? Neque tamen de laudibus TVIS orationem quisquam a me expectabit, qui cogitat, me pro ingenii tenuitate non esse eum, qui TVA in ecclesiam, rem litterariam, me denique ipsum merita non dicam ornare et celebrare, sed verbis eorum magnitudine dignis eloqui possim. Neque TV Ipse eam desiderabis, VIR VENERANDE, quem eo esse animo scio, vt laudanda perpetrare, quam laudes TVAS audire, et bene facta a TVA TIBI conscientia probari, quam ab aliis narrari malis. Quare potius ad eam me accingo scriptiunculam, quam TIBI hoc felicissimo et laetissimo tempore consecratam volo, tanquam grati animi indicium, TIBI debitum atque a summa erga TE obseruantia profectum.

Deus maxime conspicuo in ecclesia sua loco TE posuit. Eius consilio nutuque factum est, vt Amplissimus huius ciuitatis Senatus TE in hanc urbem, cui doctrina, pietas, dotes TVAE inprimis debentur, reuocauerit et, ad quem officium Pastoris primarii gratiissimum deferatur, vnum omnium maxime dignissimum iudicauerit. AVGVSTVS PATRIAE PATER munus Antistitis sacrorum huius loci et ecclesiarum scholarumque eius dioecesi adscriptarum clementissime TIBI mandauit. Maximo cum planu recipit omnis Zuiccania TE reducem, nouis honorum accessionibus

bus auctum, maiori munerum dignitate ornatum, de TE sibi gratulatur, et sumnam animi laetitiam verbis factisque, quantum fieri potest, exprimere studet. Excipiunt TE Reipublicae Proceres singulari quadam gaudii, fauoris, amicitiae testificatione, quae TIBI haud obscure declarat, quantopere de meritis TVIS persuasi sint, et quanta inde in ecclesiam et urbem redundantia ornamenta pariter atque emolumenta sibi promittant. Ecclesiarum ministri in urbe et agro scholarumque doctores et magistri TE aduenientem maxima cupiditate et ea, qua decet, obseruantia amplectuntur, ex intimo pietatis adfectu patris nomine appellant, TE sibi datum gaudent, qui insigne sit sacrorum administrandorum exemplar, auctoritate reuerendus, propter humanitatem colendus et plane amabilis, ad consulendum et opitulandum semper promptus paratusque, in negotiis exsequendis solers, iurium denique seruandorum et tuendorum studiosus. Omnes, qui TE norunt, qui TE, uti par est, amant et colunt, qui TIBI bene cupiunt, laetis acclamationibus reditum TVVM celebrant, TE in noui muneris locum cum voluptate concomitantur, et pro TVA TVORVMQUE perpetua salute ac prosperitate et vitae longaeuitate vota nuncupant ardentissima.

Quomodo igitur ego in hac tanta laetantium et applaudentium frequentia et celebritate non in societatem communis gaudii et gratulationis venirem, animum TIBI meum declararem, et fausta omnia precarer? Qua propter, ne TVAM erga me voluntatem non satis intellexisse, aut officii mei iusto negligentior esse, aut cuiquam in persoluendo obseruantiae debito concedere velle videar, haec *de Zuiccauiensibus in litterarum orientalium studio claris et de eo promeritis* litteras ad TE allegare constitui. Quibus rationibus adductus id fecerim, statim exponam. TE vero, PATRONE, vehementer etiam atque etiam rogo, velis eas, tanquam certissimas animi virtutum TVORVM magnitudine percussi, beneficiorum TVORVM dulcedine capti et optimorum pro felicitate TVA votorum pleni interpretes accipere. Quod etiam TE facturum esse, singularis TVA facilitas atque humanitas me dubitare non sinit, quin certo sperare iubet.

Zuiccaua urbs, inter principes Saxoniae urbes a multo inde tempore habita, tum ob situs amoenitatem ciuiumque humanitatem, tum ob rem publicam, ecclesiasticam et scholasticam bene constitutam nomen famamque adepta, iam dudum etiam, uti TIBI, VENERANDE VIR, in re litteraria peritissimo notissimum est, inelaruit haud exigua doctorum hominum copia, qui de bonis litteris praeclare inuerunt. Plerosque, quos haec urbs, tanquam felix bonorum ingeniorum
genitrix,

genitrix, educatrix et fœditrix, vt suos, sibi vindicat, et qui in omni doctrinarum genere excelluerunt, nominisque celebritatem consecuti sunt, iam laudarunt *Tob. Schmidius* in *Chronicis Cygneis*, p. 476. sqq. et, qui claros aliquot Cygneos in illo Chronico aut omisos aut nimis superficialiter memoratos, in lucem produxit, *Ioach. Fellerus* in libello, quem inscripsit: *Cygni Quasimodogeniti*, Lips. 1686. quaternis edito. Quorum memoriam si velim repetere, vereor, ne multorum reprehensionem incurram, qui, nec iniuria, me nihil lectu dignum scripsisse, et cramben, vt aiunt, bis coctam apposuisse censeant. Sunt tamen alii Zuiccauenses de re litteraria egregie promeriti, qui, a multis non ex merito satis cogniti et aestimati, mihi quidem memoratu digni videntur. Sunt meriti potissimum de litteris orientalibus, quos, quam potero, breuissime enarrare apud animum constitui. Atque ad hoc quidem institutum excitatus impulsusque sum tum singulari studio in has litteras, quarum discendarum et docendarum olim in Vniuersitate artium Lipsica facultas mihi fuit, et quas a multis annis ita dilexi atque etiamnum colo, vt omnia, quae ad eas celebrandas et commendandas pertineant, audivissime conquiram, tum summo erga Zuiccauiam amore, quae me exterum et ignotum hominem ita beneuole excepit et tot tantisque beneficiis auxit et cumulauit, vt eorum cum grati animi significatione palam praedicandorum, et ipsius ciuitatis decoris et ornamenti promouendi occasio mihi sit quam gratissima. Ita enim est hominum ingenium formatum fictumque, vt, quae diligant et ament, etiam laudare et ornare gestiunt; idque, vt opinor, minime vituperandum, si modo res, quas colant et laudent, e iudicio bonorum et liberalium hominum sint dignae amore et laudatione. Accedit porro et hoc, quod TV, VENERABILIS WELLERE, non solum harum litterarum ipse sis peritissimus et amantissimus earumque studia vehementer laudes, commendes, excites et iues, sed etiam hanc urbem ob multa in TE ab ineunte ferme aetate merita mirifico adfectu prosequaris, et iure quodam doctis Zuiccauensibus sis adnumerandus ^a). Denique nec vltima ratio, quae me

a 3

mo-

^a) In gratiam lectorum, vt haecce intelligant, pace Viri S. R. dicendum est, Ven. Wellerum esse natum Lauenhaynae, dioeces. Zuiccae. pago, anno huius saeculi XII, parte Wollratho Wellero, illius loci Pastore olim meritisimo, deductum in disciplinam scholae Zuicc. A. 1724, et in ea per septem annos cum laude versatum, A. 1731 in Academiam delatum; hinc Lauenhaynae A. 1739. seni patri in officio substitutum et rursus auocatum Zuiccauiam ad munus Diac. in aed. Cathar. A. 1744; euectum ad Protodiac. A. 1748; ad Diac. Mar. A. 1749; inde Penicam Pastr. et Superint. translatum A. 1760; nunc nobis cum plausu omnium bonorum redditum.

inquit, ut cogitarem de hac re, fuit haec, quod putarem, debere omnino maiorum nostrorum instituta, labores, studia, curas ex obliuionis tenebris reuocari, luci exponi, et in grata eaque assidua recordatione et contemplatione versari, quae, litteraturae orientali tributa, inprimis ad accuratam librorum sacrorum cognitionem profuerint viamque ostenderint et munierint aliis; praefertim quum sit inprimis decorum vehementerque vile, imo ad studia bonorum ingeniorum vel excitanda vel acuenda quam maxime necessarium, memoriam magnorum et de optimis litteris optime meritorum virorum recolere et ornare.

Zuiccauiensibus vero non tantum adnumero, qui Zuiccauiiae natales debent, quorum in hoc litterarum genere admodum parca messis futura esset, verum illos etiam, qui in hac vrbe vel maximam vitae partem transgere, vel bonis litteris instituti, vel publico muneri adnoti fuerunt. Qua in re praecentem habeo *Tob. Schmidium* in *Chron. Cygn.* Sect. III. c. 4. doctos homines recensentem, quos Zuiccauia partim genuit, partim educavit et erudiuit, partim recepit et honoribus ac muneribus auxit. Hinc in doctorum Zuiccauiensium numero ponit Greg. Haloandrum *b)*, Erasmi. Stellam *c)*, Io. Pollicarium, Ian. Cornarium *d)*, aliosque patria Zuiccauienses. His addit externos Paul. Melissum Schedium, Francum, Com. Pal. et Equ. Poet. Laur. et ciuem Rom., poetam et Musicum suae aetatis celebratissimum, qui per aliquot annos in ludo Zuicc., magistro Efr. Rudingero, bonis litteris operam dedit; Geo. Agricola, Glaucha Misn., qui diu hic moratus primus scholam graecarum litterarum aperuit *e)*; Hier. Wellerum, qui per duo annos in schola huius loci linguam graecam percepit *f)*; Frid. Myconium, Bambergensem, primo vnum e Monachis Franciscanis Zuiccauiens., deinde, postquam Lutheri doctrinam professus erat, Past. et Super. Gothanum.

Breui-

- b)* vid. de eo plura in *Melch. Adami Vitis Medic.* p. 37. *Felleri Cygn. Quasmod.* c. 2 et 3. *C. S. Schurzsteischii* *diff. de meritis German. in lit. gr. Vit.* 1697.
c) vid. *Adami* l. c. p. 5. *C. Feustelius de Erudd. Germ. Vitis*, p. 105. *I. B. Menkenii disp. de graec. et lat. lit. in Misioia instauratoribus*, Aph. I. §. 2.
d) vid. *Adami*, *Fellerus* et *Schurzsteischius* ll. cc.
e) Fecit hoc A. 1518, hinc quatuor annis post Lipsiam profectus lector fuit P. Mofellani; Lipsia iter fecit in Italiam et inde rediit primum in Valle Ioachimica, post Chemnitii medicum egit, v. *Adami* l. c. p. 34. *Geo. Andr. Vinholdi progr. de Steph. Rothio Biblioth. Cygn. parente et efflore et familiae Rothianae in scholam liberalitate*, in quo multa dixit in laudem Agricolae.
f) Aliis per biennium Cygnae litteras graec. docuisse et inde A. 1525. *Schncebergam* digressus ibique ludum litterarium moderatus dicitur. v. *Cph. Frid. Lacomelii historia VVelleriana*, et *Menkenii diff. laud.* §. 27. Aph. X.

Breuitatis causa alios ibi memoratos nunc mitto, et ad institutum me conuerto. Vt vero in eo persequendo ordine quodam procedam, lubet temporis ordinem sequi, et ad eum enarrare viros doctos, qui studio ac meritis in litteras orientales se et Zuiccaniam suam illustrarunt.

Primus, quem post restaurata inter Germanos a Reuchlino orientalium litterarum, hebraicae imprimis, studia hoc litterarum genere Zuiccauae inclaruissent, in antiquitatis monumentis reperio, est IOANNES FOERSTERUS. *Schmidius*, in *Chron. Cygn.* p. 496. etiam Io. Foersteri cuiusdam inter eruditos Zuiccae. meminit. Sed hic aetate posterior fuit nostro ἐμώμιμα, et de eo deinceps erit dicendi locus. Noster fuit Augustanus, et tempore Steph. Rothii, ab A. 1517 ad A. 1528 Lycei Rectoris, deinde ciuitatis Syndici, scholae Zuiccae. operam suam commodauit, post Theol. Doct. et Lingu. hebr. Prof. Viteberg. factus et Lutheri in versione S. Cod. germanica adornanda σύνεργος, inde vero in comitatum Hennebergicum a Georgio Ernesto, Comite Henneb., ad lustrandas et repurgandas ecclesias accitus fuit. Hoc etiam docet Chronostichon a *Godofr. Ludouico*, in *historia Rectorum et Gymnasiorum scholarumque celebriorum*, P. III. p. 151. ex Lehnri Henneberg. Eleostich. laudatum, quo annus 1543 efficitur, qui fuit annus repurgationis sacrorum ipsi in regionibus Hennebergicis mandatae. Zuiccauiensibus vero, ex mea quidem sententia, adnumerandus est, quia in schola Zuiccae. per aliquod tempus docuit, et sine dubio potissimum linguae hebraicae praecepta et vsum ḡ, cuius fuit peritissimus. Fuit enim vnus ex discipulis Io. Reuchlini et instauratoribus linguae hebraicae inter Germanos, quo nomine laudatur a *Val. Ern. Loefchero* in *causis L. H.* p. 113. 131. 134. Meruit de studio linguarum orientalium, imprimis hebraicae, edendo Lexico hebraeo, quod inscripsit: *Dictionarium hebraicum nouum, non ex Rabbiorum commentis, nec nostratium doctorum sulta imitatione descriptum, sed ex ipsis thesauris sacrorum bibliorum et eorundem accurata locorum collatione depromptum, cum phrasibus Scripturae V. et N. T. diligenter annotatis, autore Io. Forstero, Augustano, S. Tb. D. ac hebr. L. Prof. in Acad. Viueb. Basl. 1557. Fol.* Exstat huius editionis duplex exemplar in Bibliotheca Zuiccae. Conf. de hoc Lexico *I. C. Wolfii Bibl. Hebr.* P. II. p. 551. f. Methodus, qua in eruenda et explicanda vocum hebraicarum significatione vsus est, enar-

g) *Schmidius* in *Chron. Cygn.* p. 416. eum graecas litteras extra ordinem docuisse refert, vti tunc temporis etiam ante eum Rectores extraordinarii scholae graecae fuerunt *Geo. Agricola* et *Io. Rinius*, auctore eodem *Schmidio*, p. 414. sq.

enarrat et commendat *Loescherus*, locis mox laudatis, sed rectius, meo quidem iudicio, vituperat et reiicit Vir in litteratura orientali ita exercitatus, ut nemo ei anteponeendus, pauci aequiparandi sint, *I. D. Michaelis* in praestantissimo libello vernacula lingua scripto, cui index est: *Beurtheilung der Mittel, welche man anwendet die ausgeforbene hebraeische Sprache zu verstehen*, p. 67. Veruntamen pro temporum suorum ratione omnino multa contulit ad excitanda et iuuanda studia linguae hebraicae multisque et maximis in eam meritis excelluit. Quare etiam B. Lutherus, ut antea commemorauimus, adiutrice eius manu libenter vsus est in libris sacris vertendis. Plura de eo qui scire aueat, adeat *Melch. Adami vitas Theol. germ.* p. 302. 309.

Ordine hunc sequatur ob merita in litteras orientales merito laudandus LEONHARDUS NATTERUS, A. M. Collegii Zuicau. Rector, qui in hoc officio excepit Rotherium, e schola in curiam translatum, A. 1528. Ita habet *Schmidius* in *Chron.* p. 415. et *Ludouicus* in *bist. Recl. Gymn. et Schol.* P. III. p. 152. Bene meritus de studio litterarum orientalium omnino dicendus est per rationem studii Zuicauiensis ab eo germanica lingua perscriptam et propositam, cui titulum fecit: Ordnung des newen Studii vnd newt auffgerichteten Collegii yn Fürstlicher Stadt Zuicau. Auff drey Hauptsprachen Hebransch, Kriechisch, latinisch gestellt. Latet ea in Bibliotheca huius urbis obscuro loco, et eius notitiam TIBI, DOCTISSIME WELLERE, acceptam me debere palam gratus profiteor. In hoc libello discipulis vehementer iniungit linguae hebraicae studium Natterus. Inter exercitia tertiae classis alumnorum refert initia linguae sanctae perscenda, seu, ut eius verba habent: Das anheben, als fern es die Geschicklichkeit erfodert, Hebreischer vnd heyliger Sprach. Secundae vero classis adolescentem exerceri vult non modo legendo Vet. Test. in omnibus linguis, sed etiam scribendo et loquendo tres linguas, hebraeam nempe, graecam ac latinam, easque hac ratione in dies magis magisque colendo et in vsum conuertendo. Rectorem hunc *Schmidius* et *Ludouicus* ll. cc. alienigenam appellant, sed patriam eius non indicant. Ipse vero indicat, dum in dedicatione ordinis scholastici ad senatum se nominat Lauingensem. Ex hac dedicatione etiam cognosco, eum hunc studiorum ordinem et regulam scripsisse anno XXIII, qui sine vlllo dubio est annus 1523. Quumque simul se Rectorem Collegii Zuicauiens. vocat, quomodo haec cum Schmidii et Ludouici narrationibus consentiant, qui eum A. 1528 Rothio successisse aiunt, ego quidem non perspicio. Sed mitto haec, quae ad institutum meum nil pertinent, et progredior ad

GEOR-

GEORGIUM HALAM, A. M. tertium a repurgatis sacris dioeceseos
 Zuiccau. Superintendentem. Waiblinga, oppido in Ducatu Wurtembergico,
 libellum Interim recipere nolens discessit et Zuiccauiam venit. Tanquam
 Pastor Zuiccau. etiam Vitebergae subscripsit Confessione Doctrinae Eccle-
 siar. Sax. Cf. Phil. Melanthonis Opp. T. I. f. 144. Vix quadriennio ex-
 acto, A. 1553. Zuiccauia abiit Cizam ad D. Michaelis Pastorem, unde fe-
 quenti anno Lipsiam ad munus Pastoris Thomani vocatus, in hoc mune-
 re diem obiit, A. 1565. Inter Zuiccauienses vero de orientalium littera-
 rum studio meritos iure suo nomen habet, quoniam hebraicam linguam
 ita calluit, ut in eadem etiam litteras ad amicos daret. Testis huius rei
 Mart. Crusius in *Annal. Suev.* T. III. p. 627. *M. Georg. Hala*, inquit,
vir trium linguarum doctissimus, patris mei quondam condiscipulus, ad
me humanissimas litteras dedit partim latine, partim graece, partim
hebraice scriptas. Hinc nullum mihi est dubium, quin etiam, quan-
 tum potuerit, contulerit ad studia harum litterarum promouenda. Pla-
 ra de eo videlicet in *Crusii Annal.* l. c. p. 374. 668. lqq. *Felleri Cygn.*
Quasim. c. l. *Vnschuldige Nachr.* A. 1723. p. 528. lqq. Inde suppleri
 potest *Chronicon Schmidii*, qui p. 392. nihil memoratu digni de hoc G.
 Hala se inuenisse dicit.

Sequitur nunc pro temporis ratione ESROMVS RVDINGERVS, Pape-
 bergensis, A. M. scholae Zuiccau. Rector, Rectoris M. Geo. Thymi,
 A. 1550. Goslarum abituri, successor. Fuit magni illius Ioach. Camerarii
 cuius ac gener, et Phil. Melanthoni amicissimus *b*). Post Thymi disces-
 sum, ut scholae de nouo eoque doctissimo et dexterrimo Rectore prospice-
 retur, Senatus nomine Nicol. Reinholdus, Syndicus, profectus est Vi-
 tebergam, ea de re Melanthonem consulturus atque etiam cum Camerario
 acturus, si Lipsiae eum reperisset. Quo factum est, ut suafu Melanthonis
 Viteberga Cygneam abiret Esromus ad Rectoris prouinciam capef-
 sendam. In hoc etiam officio inaugurationis solemnibus et oratione la-
 tina, inter scholae Zuiccau. parietes habita, ab ipso socero est constitu-
 tus. cf. *Schmidius* l. c. p. 418. *Ludouicus*, l. l. p. 162. Cygneae septen-
 nium cum laude versatus, missus est ad regendam scholam prouincialem
 Portensem (meam quoque olim per sex propemodum annos altricem et
 magistram liberalissimam, cui Deus faueat!), quod testatur *Iust. Per-*
tuchius

b) Camerarius tanti faciebat Esromum, ut eum omnium suorum scriptorum cen-
 sorem et existimatorem constitueret, ipsique dedicaret Chronologiam secundum
 Graecorum rationem scriptam. Melanthonis epistolae tres ad Esrom. Rudingerum
 MSC. sunt in Biblioth. Lips. Paull. cf. Catalog. eius MSS. a Felleri ed. p. 217.

Meibius in Chron. Portenf. p. 174. Hinc *Adami, Schmidius, Fellerus* emendandi, qui Cygnea Vitebergam eum concessisse tradunt, cf. *I. B. Menkenii diss. de instauratt. gr. et lat. litt. § 30.* Ex Portensi ludo de-
 in Vitebergam translatus, in hac Academia per decennium Philosophiam
 et graecas litteras docuit, Melanthonis collega et amicus. Viteberga
 Torgauiam euocatus, quum Articulis aduersus Sacramentarios iussu Au-
 gusti, Elect. Sax., consignatis subscribere nollet, sua sponte *δ* migravit ad
 fratres Confessionis Boemicae in Morauia et in Euanzizensium gymna-
 sio per aliquot annos bonas litteras docuit. Inde iam senex et *παιδαγωγός*
 laborans ad affines suos, Ioach. Camerarium, Medicum, et Philip. Came-
 rarium, ICTum, Noribergam venit, ibique A. 1591. exeunte mortuus est.
 Inter multa elegantissima scripta, quae Camerarii et Melanthonis, summo-
 rum virorum, discipulum facile produunt, edidit etiam Commentarium in
 hymnos Dauidicos. Titulus eius est: *Libri Psalmorum paraphrasis la-
 tina, quae oratione soluta breuiter exponit sententias singulorum ex
 optimorum interpretum veterum et recentiorum rationibus.* Ad-
 dita sunt argumenta singulorum psalmorum, et redduntur rationes parabra-
 seos, aspersis alicubi certorum locorum explicatiunculis. Excepta omnia
 e scholis *ESROMI RVDINGERI*, in ludo litterario fratrum Boemi-
 corum Euanzizii in Morauis, et nunc primum edita. Editio, quae
 Gorslicii excusa est in officina Ambr. Fritschii, A. 1587. quaternis, existat
 in Biblioth. Zuiccau. Alia iam antea, A. 1571. Viteb. prodiiisse fertur,
 quam vero videre mihi non licuit. Est paraphrasis doctissime conscripta,
 ex veterum, inprimis orientalium, versionibus illustrata, atque etiam ob
 stili puritatem et elegantiam laudanda et commendanda. Sunt in ea plu-
 res bonae et exquisitae obseruationes, quam in multis aliis magnae mo-
 lis commentariis. Maxima cum voluptate eam peruoluī. Perspicitur
 exinde haud vulgaris *Efromi* tum in Theologia et humanitatis studiis,
 tum in orientalibus literis doctrina. Quapropter aliis eius maximis me-
 ritis etiam merita in harum litterarum studium non minora addere nul-
 lus dubito. Cf. *R. M. Meibsubrerus, in prodr. German. or. p. 17.* Vi-
 tam nostri habent *M. Adami, in Vit. Philos. p. 172.* *Ludou. Camerarius,*
Ioach. fil. et Ioach. nep. in praef. ad Hub. Langueti epistolas, quondam
 ab eo editas et Lipf. 1685. reculas; *Fellerus in Cygn. Quasim. c. 2. et 4.*
Schurzsteisch. in diss. de mer. Germ. in litt. gr. aliique, quos vide in
G. Ludouici hist. Rectorum etc. P. III. p. 162.

Nolo hoc loco praeterire IO. FOERSTERVM, cuius supra mentionem
 inieci, probe distinguendum illum a Io. Foertero, Augustano, quem ob

(i) cf. Prooemium eius paraphrasi in Psalmos praemissum.

ob merita in litt. orient. iam laudauimus. Natus est hic, de quo nunc nobis sermo est, A. 1576. Aurobaci, oppido non procul vrbe Zuiccaui. Adnumero illum cum *Schmidio*, *Chron. Cygn.* p. 496. Zuiccauiensibus claris et bene meritis, quia aliquot annis in schola Zuiccae. bonis litteris discendis operam nauauit. Factus est primum Rector Schneebergenfis, tum Pastor Cizensis, deinde Th. D. Prof. et Praepos. Vitebergenfis, denique Praeful Mansfeldensis Islebiae. Studio litterarum orientis et meritis in eas inclaruit. Schneebergae fuit linguae Hebraeae, Chaldaicae et Syriacae praeceptor Io. Zechendorffii, cuius insignia merita postea praedicabimus. Scripsit etiam *Commentarium in vaticinia Iesae et Ieremiae*. De vita et scriptis eius legantur *Wiltschius de incunabulis scholae Annaeberg.* p. 45. f. *Uhsen Leben der berühmten Kirchenlehr. u. Scrib. des XVII. saec.* p. 635. sqq. *God. Ludouici hist. Rectorum cet.* P. V. p. 155. sqq.

Prodeat nunc in lucem eodem tempore celebris VITVS WOLFRVM. Lucem adspexit Hildburghusae, A. 1554. Acerrimus veritatis euangelicae contra Caluinianos aliosque eiusdem farinae homines, qui ea tempestate magnos in ecclesia motus ciebant, fuit defensor et propugnator. Archidiaconi Vitebergenfis officio per duo annos functus et ab Aegid. Hunnio Zuiccauiensibus de meliori commendatus, Pastoris et Superintendentis apud eos munus in se suscepit A. 1593. et eodem anno in Vniuersitate Viteberg. summos in Theologia honores, quos Doctoris nomine appellari solitum est, vna cum Sam. Hubero et Sal. Gesnero capeffuit. Zuiccauiae quoque, quamuis ab exteris, Academiae etiam, ad honorificentissima munera inuitaretur, neglectis et recusatis illis, mansit vsque ad finem vitae, qui ipsi accidit A. 1626. Atque in hac vrbe non modo spartam sibi datam cum laude ornauit, verum etiam studio et meritis in litteras, quae ab oriente nominantur, nominis celebritatem est consecutus. Vti Hebraicae, Chaldaeae et Syriacae linguae erat scientissimus, ita etiam aetate iam prouectus et fere sexagenarius proprio Marte, excitatus a Vinc. Schmuccio, Super. Lips., didicit Arabicam *k*). Breui quoque tempore in ea tantos progressus fecit, vt Zechendorffio excolendae eius auctor adiutorque fuerit *l*), et deinde in schola ipse palam eam docuerit. Priusquam vero lectiones Arabicas auspicaretur, in publico et solempni consensu orationem in laudem linguae Arabicae recitauit. Edidit

b 2 eam

k) Ipse hoc fatetur in litteris ad Vinc. Schmuccio datis et Nocti Cygnaeae, f. orat. in laudem linguae Arab. subiunctis.

l) Zechendorffius id praedicat in Carm. Arab. Nocti Cygnaeae annexo.

eam posthac hoc titulo: *Nox Cygnea m*), exhibens *disertationem in laudem linguae Arabicae a VITO WOLFRUMO, D. et Super. Recitabatur 2. Dec. A. C. 1623. in schola Zwickauensi, praesentibus non tantum omnibus scholae praeceptoribus et discipulis adultioribus, verum etiam multis ex ordine Senatorio et fraternitate in oppido et agro Cygneo. Lips. 1625.* quaternis. Oratio, docte et eleganter scripta, primo silit statum scholae illo tempore, in qua praeter latinam et graecam linguam etiam Hebraica, Syra et Chaldaica discentibus proponebatur; deinde obiectiones praecipuas contra studium linguae Arabicae, quod commendat, refellit; tum utilitatem eius explicat; denique necessitatem, facilitatem ac suauitatem eius offendit. Sub finem adiecta est epistola Laur. Fabricii, tunc Rect. Acad. Viteb., in qua laudat Wolfrumi orationem et institutum, et epistola auctoris ad Amicum (Vinc. Schmuccium), qua rationem reddit suscepti studii Arabici. *Pericula Arabica* etiam scripsisse Wolfrumum, addit C. G. Ioecherus, in *Lexico Eruditorum nouo*, T. III. p. 397. atque in illis Lutheri versionem S. S. contra calumnias Pontificiorum ex Chaldaea, Syriaca, Graeca et potissimum Arabica versione vindicare tentasse, sed ea tantummodo MSCta reliquisse, affirmatur in *Vnschuld. Nachr. A. 1723.* p. 388. Mihi vero ea videre non contigit, neque inter MSS. Wolfrumi in Biblioth. Zuicc. reperuntur. Prolixam vitae eius descriptionem scriptorumque enumerationem exhibent auctores *der Vnschuld. Nachr. A. 1723.* p. 379 - 394. et valde copiosi sunt in laudibus viri summo iure laudandi extollendis.

Prodeat nunc in medium et conspectum illustrissimum in orbe literato nomen, IO. ZEGENDORFIVS, quem aliquoties iam nominauimus, et qui primo loco nominandus fuisset, quum omnes ante se incredibili studio et pereximiis in litteras orientales meritis longe superauerit. Patria ipsi fuit Loefnicium, oppidum in Zuiceuensium confinibus. Schneebergae, ubi primum scholae Conrector, dein Rector fuit, a Senatu Zuicc. A. 1617. ad Recturam Lycei sui vocatus, huic muneri per quatuor et quadraginta annos laudabiliter praefuit. Optimo iure, si quis vnquam, inter Zuiceuenses litter. oriental. studio claros et de eo meritis est referendus. Hebraicae, Chaldaee Syriacaeque linguae principia hausit Schneebergae, in ludum eius iuuenis delatus, ab Io. Foerftero, de quo paul-

m) *Noctem* eam appellauit, quoniam noctu potissimum conscripsit. Ita enim ipse in praemissa epistola dedicatoria ad Senatum: *cum Agellio Noctem nomio, quia propter diurnas occupationes nocte maximam partem a me est exarata.*

paulo ante diximus, et qui tum eam scholam regebat. In Arabica, Persica et Turcica lingua *διωδιδευτος* fuit, et plane improbo labore tantam earum facultatem sibi comparavit, quantam pro temporis locique, quo vixit, ratione vix quisquam expectaverit. Ad linguas enim colendas natus erat factusque. Specimina eius, quae dedit, in admirationem rapuere viros doctissimos, eorumque est magnus numerus. Multa sunt in lucem edita, plura, quae lucem non viderunt, adseruata latent in Bibl. Zuicau. Potiora tantum laudabimus, quia nos esse oportet breuitatis studiosos. Ex editis praecipua haec sunt: 1) *Fabulae Muhammedicae, s. Nugae Alcorani ex MS. Arabico versae et carminice profitutae.* 2) *Suratae vnus atque alterius textus eiusque explicatio ex commentario quodam Arabe.* Typis Arabicis hoc specimen impressum est ligno incisulptis valde rudibus et horridis. Commentarius est Beidavi, quod nomen male legit Lechendorffius Padavvi, notatus propterea etiam ab *Andr. Acolutho* in *Specim. Alcor. quadril.* p. 35. 3) *Specimen Suratarum aliquot.* Addita sunt responsa Altdorffio, Viteberga, Rostochio accepta, quorsum Suratas varias, a se ita pertractatas, miserat. 4) *Circuli Coniugationum ad linguas Hebr. Chald. Syr. Pers. Arab. Turc. facillimo labore et breuissimo studio cognoscendas.* Aeri sunt incisi. Praeternitto alia et progredior ad *inedita*, quae selegi e Catal. MSS. Bibl. Zuic. hic nominanda, et ipse oculis vsurpauit. Sunt 1) *Totus Alcoranus* sedulo et bene descriptus et versione lat. interlineari distinctus ab ipso Lechendorffio. 2) *Gymnasium Hebraeae linguae* eius manu adfectum. In eo voces Hebraicas ad certas formas reuocare et de illis regulas analogicas constituere coepit. Laudatur a *V. E. Loescher* de *causis L. H.* p. 144. sed non est editum, vti adfirmare videri potest idem *Loescherus* l. c. p. 117. 3) *Ελεγγος πρωτων* Psalterii ex edit. *Sauariana*, in quo omnia Arabica vocabula *Casibus, Modis, Numeris, Praefixis, cet. variata continentur.* 4) *Lexicon πρωτων Arabicum.* Est sine dubio illud, cuius a se conscripti meminit in epist. ad Hieron. *Auianum* praemissa eius *Clauis poeseos S.* 5) *Lexicon Turco - Persicum coeptum, at non perfectum.* Plura minoris momenti MSS. orientalia nunc taceo, de illis eorumque iusto pretio forsitan alio tempore dicturus. De vita et scriptis tum editis, tum ineditis Lechendorffii omnino cf. *G. Ludouici hist. Rector. cet. P. V.* p. 65 - 93. Iudicia de eo eiusque studiis et conatibus in linguis orientalibus, praecipue in Alcorano, vid. in *I. M. Langii Dissp. de prima Alcorani editione, et de Speciminibus, conatibus et successibus doctorum virorum in edendo Alcorano. Altd. 1703. Pfeifferi Append. II. Theol. Iud. et Muh.* p. 385. *Z. Grapii hist. lit. Alcorani.* His addi mereantur in laudes Lechendorffianas

nas *Dilherr. Ecl. Sacr.* p. 409. *I. H. Hottingeri Bibl. or.* p. 159.
Loescher. de causis L. H. ll. cc.

CHRIST. DAUMIUS, Zuiccauiæ natus A. 1612. postea in schola patria Zechendorfii discipulus et deinde Collega et Successor, omnibus quidem notus est ob excellentem ingenii facultatem et litterarum humaniorum rei que criticae peritiam plane incomparabilem, magnam inde famam consecutus, sed forte non ita multis cognitus a linguarum etiam orientalium scientia. Erat linguae Hebr. Turc. et Arabicae doctissimus, et intra octidui spatium a Zechendorfio Arab. linguae fundamenta se didicisse ipse est professus in Epistola haectenus ἀνευδότης, at a *Th. Crenio* in *Animadu.* P. XVI. p. 38. expromta, vbi plura habet de fatiis studiisque Daumii, quae harum rerum curiosos admodum delectabunt. Quare etiam eum inter Zuiccauienses litt. orient. studio claros silentio praeterire noluiimus. De vita et scriptis eius consulantur *I. C. Loescheri Memoria Daumii, Vit. 1701.* *C. Feustelii ἀναθήναξ ΔΙς* manibus *C. Daumii suspensum et editum, Lipsf. 1688.* *Ludouici hist. Rectorum* cet. p. 99. sqq.

Porro ob studium et merita in litteris orientales inter Zuiccauienses memoratu dignus est CHR. GOTTH. BLUMBERGIUS S. Th. D. et ab A. 1700 per triginta quinque annos Past. prim. et Super. dioeces. Zuicc. Quia singulari Hebraicae aliarumque linguarum orientis amore flagrabat, in Acad. Lipsf. earum discendarum occasionem nactus, ea libenter et feliciter usus est. Praeceptorem habuit *Fr. Alb. Christianum*, Iudaeum conuersum, qui Obadiae et Ionae vaticinia Rabbinorum commentariis illustrata edidit, et inprimis *Aug. Pfeifferum*, tum Hebr. L. Prof. Lipsf., qui eum quoque in domum suscepit ipsique liberorum suorum disciplinam mandauit, vnde instructissimam eius Bibliothecam vsurpandi et in linguis orientalibus proficiendi facultatem praecipuam habebat. Scripsit deinde doctam *Disp. de עכסים*, ad *Iesf. III, 18*, praef. Polyc. Lysero, Theologo celeberrimo, A. 1683. defensam, aliaque sequenti anno ad eundem locum de **השביסים והשהרנים** publice ventilata sibi iura Magistri Lipsf. adquisiuit. Postea Ienam se contulit et hinc Io. Geo. a Wangenheim commendatus est, qui beneuole ipsi aditum ad Bibliothecam Gothanam parabat, vbi mutilum et mancum MS. Alcorani, eo consilio ipsi traditum, eleganter suppluit. Zuiccauiæ elaborauit *Fundamenta linguae Copticae in gratiam eorum conscripta, qui linguam Coptico-Aegyptiacam breui facili que methodo addiscere exoptant*, quae Lipsf. 1716. octonis prodire. Varia Collectanea et Manuscripta ad orient. litteraturam spectantia reliquit, quorsum pertinent: *Dissert. philol. de ornatu muliebri, Iesf. III.*

taxato,

taxato, quae sunt continuationes dissertationum eius Academicarum paulo ante laudatarum; *Elementa Turcica*; *Linguae Arabicae institutiones*; *Lexicon Copticum*; *Dictionary hebraeum integritati suae*, quoad licuit, redditum. Testatur id Beati priuignus Fr. Lebr. Goetzius, A. M. et quondam Diac. Zuicc. in vitae curriculo Blumbergii, eius *erbaulichen Gedanken über die Evangelia der Sonn- und Festtage* praefixo. cf. etiam de eius vita *Ioecheri Lex. Erud. it. Vnsch. Nachr. A. 1738.* p. 512.

Zuiccaiensibus ob merita et studium in litter. orient. celebrandis etiam addo VAL. ERN. LOESCHERVM, magni nominis Theologum, Praefilem Dresdensem, A. 1749. mortuum. Pater enim eius Casp. Loescherus, ab A. 1679 per octennium fuit Past. et Super. Zuiccai., deinde Viteberg. Prof. Th. prim. Consist. Assess. et Superint. Gener. factus n). In domo patris Zuiccauae aliquamdiu versatus filius Val. Ern. vsus est scholae Zuicc. disciplina, Rectore C. Daumio, et ex Academia redux per totum mensem Biblioth. Zuicc. exemplaria nocturna diurnaue manu versauit. Studia et merita eius in orientis litteratura mea laudatione non indigent, quum inter omnes nota sint, et maximis laudibus iam dudum excepta et ornata. Testes doctrinae eius orientalis inprimis sunt *de causis linguae Hebraeae libri tres*, *Frcf. et Lips. A. 1706* ab eo editi. Scripsit etiam A. 1704. *Sebediasma de nouiter tentatis in Hebraeam litteraturam*. Et paucis ante mortem annis absoluit *Topographiam Palaestinae*, quae vero an lucem viderit, mihi quidem notum non est. Copiosissimam et accuratissimam vitae eius enarrationem exhibuit Beati gener, *Theod. Crügerus*, Th. D. et Super. Chemnic. adiectam illam *concioni funebri* in laudem Loescheri habitae a Magn. et S. R. *I. G. Hermanno*, et editae Dresdae 1751.

Denique agmen claudat Zuiccaiensium studio litter. orient. clarorum et de eo bene meritorum consummatissimus Theologus, SAL. DEYLINGIVS, amplissimorum munerum Prof. Past. Super. Consistor. apud Lipsiensis nuper celeberrimus. In Zuiccaiensium numero eum pono. Nam hanc lucem adspexit Weydae in Nariscis, non ita procul vrbe Zuiccaua, et post haec per septem annos in schola Zuicc. ad studia humanitatis et litterarum sedulo incubuit, quare etiam, quoad vixit, singulari semper amoris adfectu Zuiccauae deditus fuit. Eruditionis eius copiam et elegantiam nemo nescit. Doctrina vero et labores, quibus etiam de orientali litteratura egregie meritus fuit, perspicuntur ex elaboratissimis scriptis ab eo editis,

n) Vitam et scripta eius vide in *Vnsch. Nachr. A. 1720.* p. 842. sqq. et A. 1719. p. 337. sqq.

tis, inprimis ex *quinque Tomis obseruationum Sacrarum et miscellaneorum*. Vitae Deylingii descriptio annexa est *orationi funebri*, quam in honorem defuncti habuit S. R. *Stemlerus*, Sacrorum Lipsiensium hodie antistes, Patronus meus summopere deuenerandus.

Atque tantorum virorum vestigiis TV etiam summa cum laude insitisti, et eadem, qua illi, via ad nominis gloriam pergis, VENERANDE WELLERE, quem Patronum mihi gratulor, et de quo cum Collegis ac Fratribus Ephoro nobis dato, tanquam de eximio Dei beneficio nobis tributo, vehementissime laetor. Quin mihi inprimis de reditu TVO in Zaiccauiam gratulandum ac laetandum est, quia singularis beneuolentia, qua me huc vsque absentem dignatus es, spem mihi facit certissimam, TE praesente, me eo vberiores exinde fructus esse percepturum. Quibus vero rebus hanc meam TIBI laetitiam declarem et confirmem? Nihil in me est, quo hoc possim, nisi vota, quae pro salute TVA profundam. En vultum hilarem! En mentem gaudii sensu perfusam! Accipe vota ex intimo pectore profecta! Deus, supremus rerum humanarum arbiter, omnis felicitatis auctor, bonorum suorum copiam in TE, VIR SVMME REVERENDE, largissime effundat. TIBI ope sua adsit in grauissimis muneribus administrandis. Impleat pectus TVVM ardentissima gloriae suae promouendae et regni Christi colendi cupiditate. Omnia instituta TVA et coepta, quae in honorem suum tendunt, feliciter succedere iubeat. Auspicia muneris TVI pacis exoptatae reditu, ceu bono omine, laetissima et faustissima reddat, eiusque commodis TE perpetuo frui sinat. Seruet TE quam diutissime ecclesiae, vrbi, scholae, dioecesi, mihi denique sospitem atque incolumem, et in dies maiores TIBI animi corporisque vires largiatur. TE TVOSQUE omnes omnibus summis bonis, quibus felicitas humana censetur, cumulatissimos ornatissimosque esse velit.

Itaque hic finem faciam scribendi, nunquam vero TVI, PATRONE OPTIME, colendi, TVAEQUE doctrinae et virtutis admirandae et imitandae. Denique TVVM fauorem, quo nihil antiquius, nihil honorificentius mihi vnquam erit, mihi conferues, neque dubites, quin sim summo studio, diligentia curaque omnia facturus, quibus me possim dignum TVA beneuolentia TVISQUE beneficiis probare.

No 113. 80
8



17. 11.





DE
ZVICCAVIENSIBVS
LITTER. ORIENTAL. STUDIO CLARIS
ET DE EO MERITIS
EPISTOLA

24

QVA SIMVL
VIRO SVMME REVERENDO
ATQVE ERVDITIONIS COPIA ET MVNERVM DIGNITATE
AMPLISSIMO

IOANNI GODOFREDO
WELLERO

A. M. ET SOC. LIBER. ART. LIPS. MEMBR. HON
ADHVC PAST. ET SVPERINT. PENIC

MVNVS
PASTORIS PRIMARII ET
SVPERINTENDENTIS
ZVICCAVIENSIS

A. D. XXX. IANVAR. A. C. CIO IO CCLXIII

SVSCEPTVM
GRATVLATVR

IOANNES FRIDERICVS REHKOPF

A. M. ET AD AEDEM S. CATHAR. DIACONVS

ZVICCAVIAE

EX OFFICINA HOEFERIA

